



der  
IX  
is  
ign  
ido  
um  
(cu  
ait  
ru  
do  
nit  
nu  
eg  
ac

Co  
11. De  
2. G  
3. C  
4. S  
5. E  
6. E  
7. fol  
8. E  
9. F  
10. t  
11. A  
12. A  
13. A  
14. t  
15. t  
12. ✓

Nf. 133.





an 74 15  
**CHRISTUS**  
**LAPIS OFFENSIONIS,**

è  
*I. Petr. II. Vers. VII. & VIII.*

Ad solennem Disputationem  
propositus,

pro  
**DOCTORATU THEOLOGICO**  
obtinendo,

à  
**PRÆSIDE**  
**M. JACOBO SCHALLERO,**  
Philosoph. Pract. Profess. Publ.

RESPONDENTE  
**JOACHIMO WILLIO,**  
Schwertzenbacense-Varisco,

*Die XII. Decembr. Anno M. DC. XXXIII.*

*Loco ordinario,*

Horis pro & pomeridianis.

---

*ARGENTINÆ,*  
Typis **EBERHARDI WELPERI,**  
ANNO M. DC. XC.



CHRISTUS

LAPIS ORENSIOMIS

TRITUM VITAE

AD LIBERUM DISPUTATIONEM

PRO

DOCTORATU THEOLOGICO

OBTIENDO

3

PRÆSIDIO

M. JACOBO SCHALLERO

Philosophi, Fac. Theol. P. P. P.

RESPONDENTE

JOACHIMO WILHELMO

Philosophi, Fac. Theol. P. P. P.

Die 2. Decembris anno M. DC. LXXIII

Acto publico

in Aula Magna

MAGNIFICENTIAE

TYPO AERHARDI WEFERLI

anno M. DC. LXXIII







Σὺν Θεῷ!



Veteres Gentiles eò usq; superstitionis progressos fuisse, ut etiam lapides adorarint, testatur Arnobius l. i. adversus Gentes pag. 13. *Si quando, inquit, conspexeram lubricatum lapidem, & ex olivi ungvine ordinatum, tanquam inesset vis presens, adulabar, affabar, & beneficia poscebam nil sentiente trunco.* Et Prudentius Lib. i. contra Symmachum.

*Sacratum domi lapidem consistere parvus  
Spectarat, matremq; illic pallere precantem,  
Mox humeris positus nutricis, trivit & ipse  
Impressis silicem labris, puerilia vota  
Fudit, opesq; sibi caeca de rupe poposcit.*

Augustinus etiam Lib. 16. de C. D. c. 38. de Jacobo dicit: *Nec more idololatria lapidem perfudit oleo Jacob, velut faciens illum Deum, neq; enim adoravit eundem lapidem, vel eidem sacrificavit.* Theophrastus περὶ δεισιδαιμονίας. Καὶ τῶν λυπαρῶν λίθων ἔν ταῖς προδοῖς παρῶν ἐκ τῆς ληκύθου ἔλαιον κατεχεῖν, καὶ ἐπὶ γόνατα πρῶν δὲ προσκυνήσας αὐτὰ δάσσεισθαι. Sic & Minut. Felix. *Non boni Viri est, Marce frater, hominem domi forisq; lateri tuo inbarentem, sic in hac imperitia vulgaris cecitate deserere effigiatos sanè & unctos & coronatos.* Apulejus Apolog. *Negant vidisse se, qui ibi fuerunt, unum saltem in finibus aut lapidem unctum, aut ramum coronatum.* Plura testimonia peti possunt ex Pausania Bœoticis, Luciano in Charonte Tibul. Eleg. i. Lib. i. August. t. 8. in Pl. 47. Clem. Alex. l. 7. Strom. Hujusmodi lapides animatos Βαίτωλας vocatos fuisse, probat Scaliger in *Animadversionibus* Eusebianis pag. 198. 199. & à veterum Superstitione cultos, omnemq; hunc morem manasse ab eo lapide, quem unxerat Jacob in Bethel, unde nomen illis. Unde & Βαίτωλον lapis, quem à Saturno devoratum fingunt, & proverbium; καὶ Βαίτωλον ἐν καταπίνοισι. Sed

A 2

quemad-

Manlius





quemadmodum τὰ δαιδάλεια ἀντοκίνηται fuisse, ita etiam Balylos illos fuisse ἐμψύχως & sponte moveri solitos, dicant Philo Bybliensis, ἐπὶ δὲ ἐπενόησε θεὸς ἕρπονός βασιλῖα λίθως ἐμψύχως μηχανησάμενος. Photius 568. εἶδον φησὶ, τὸ βαίτυλον διὰ τὰ αἴερα κινούμενον. Item, τῶν δὲ βαίτυλον ἄλλον ἄλλω ἀνακείαθαι θεῶ κέρων, Διὶ, ἡλίῳ καὶ τοῖς ἄλλοις. Haec tenus Scaliger.

II. Hoc ideo factum est, quia Christum lapidem illum Es. 28. v. 16. & quidem unctum oleo lætitiæ præ confortibus Ps. 45. v. 8. & lapidem vivum 1. Petr. 2. v. 4. ignorarunt. Nos ut hunc lapidem tantò melius, quanto illi deterius, cognoscamus; paucis considerabimus descriptionem illam in 1. Petr. cap. 2. & quidem ob brevitatis studium tantùm illa verba v. 7. & 8. quando CHRISTUS dicitur lapis offensionis & petra scandali, οἱ πρῶτον κόνουσι τῷ λόγῳ ἀπειθήντες, εἰς ὃ καὶ ἐπέθησαν. Cujus dicti germanum sensum ut rectè percipiamus, duo potissimum consideranda sunt I. QVIS? II. QVALIS?

III. Qvisnam sit ille lapis. Interpretes variant. Bellarminus Præfat. in Lib. de R. P. per lapidem intelligit *Romanum Pontificem*. Et quidem in MS. exemplari expressè negaverat, posse hæc de CHRISTO intelligi: in excuso tamen se corrigit, & dicit §. Porro. *Quamquam hæc Verba in Christum præcipuè convenire non ignoramus, eadem tamen non ineptè in Christi vicarium quadrare censemus.*

IV. Verùm Bellarminus I. Seipsum contradictionibus implicat, ita enim scribit §. *Addit postremò idem Propheta, in fundamento fundatum. Quid est enim in fundamento fundatum, nisi fundamentum post fundamentum, fundamentum secundarium, non primum? Si quidem primum ac præcipuum Ecclesie fundamentum non ignoramus esse Christum, &c. At post Christum, fundamentum est Petrus, & nisi per Petrum non pervenitur ad Christum. Si enim Phrasis hæc in fundamento fundatum, præcise notat fundamentum secundarium, ergo per lapidem in fundamento fundatum nullo modo potest intelligi Christus, sed potius Propheta tantùm loquitur de Pontifice. Atq; hæc ratio erat, ob quam in MS. exemplari Bellarminus negaverat, posse hæc de*  
CHRISTO



**CHRISTO** intelligi. Si verò hæc verba in Christum præcipuè conve-  
niunt, ut in excuso exemplari dicit, ergò per phrasin illam, *in*  
*fundamento fundatum*, non potest intelligi præcisè *fundamen-*  
*tum secundarium*, quia Christus, etiam dicitur ap. Prophetam *la-*  
*pis in fundamento fundatus*.

V. Altera contradictio est in loc. 1. de **CHRISTO** C. 4. §. 7.  
ubi ex hoc Loco pro Christi divinitate contra novos Arianos ar-  
gumentum format. At si locus etiam de Rom. Pontif. potest intel-  
ligi, argumentum illud infirmum redditur: vel si firmum est, tum  
nullo modo potest etiam de Rom. Pontif. intelligi, alias sequeretur  
Pontificem esse summum **DEUM** & Dominum exercituum.

VI. 2. Crassissimæ ignorantia vel malitiosæ dissimulationis est  
indicium, quando ex phrasi illa, *in fundamento fundatum*, hæc  
cudere conatur, cum in Hebr. sit lapis  $\text{רֹסֶס מוֹסֶר}$  lapis funda-  
menti fundati, non in fundamento fundati, juxta Ariam. Mont.  
vel fundamentum fundamenti juxta alios, jam autem vel pue-  
ris nota est illa Regula: *Rectiorem duorum Conjugatorum ἀυξη-*  
*σις* & peculiarem *ἑμφασιν* notare. Vel etiam quando substanti-  
vum seipsum genitivo casu regit, superlativa locutio cum pe-  
culiari energia notatur, ut *Cæli cælorum, DEUS Deorum, & Do-*  
*minus Dominorum*, i. e. Summus **DEUS**; *Sanctum Sanctorum*,  
i. e. Sanctissimum, *Canticum Canticorum, vanitas vanitatum, Se-*  
*cula Seculorum, &c.* Si igitur legamus *fundamentum fundamen-*  
*ti*, nil aliud significatur, nisi solidissimum & firmissimum fun-  
damentum. Eodem modo in verbis rectio conjugatorum ma-  
jorem evidentiam notat; ut *judicare judicium, votare votum,*  
&c. Usitatissimus etiam est infinitivus adjunctus verbo suo fini-  
to, ut  $\text{וַיֵּדֶן נֶר}$  *vivendo vidi*, quod 70. Interpret. & Lucas Act.  
7. v. 34. vertunt,  $\text{ιδῶν εἶδον}$ , *videns vidi*, (ubi notamus obiter, mul-  
tos esse, qui quando in Lectione 70. Interpret. & N. T. in tales lo-  
quendi formulas incidunt, statim proclamant, Hebraismum esse.  
At dubitari potest, cum Verbum nomen suum conjugatum non  
tantum apud Hebræos regat, sed etiã apud Græcos, ut  $\text{μάχομαι μά-$   
 $\text{χην, δαλέω δαλείαν}$ , & Latinos ut, *pugna summâ contentione pugna-*



us, Cic. pro Mar. *Hunc oro sine me furere ante furorem.* Virg. omitto plura Exempla. Posterior formula, *ιδὼν εἶδον* occurrit etiam apud Æschylum & τὸν Ἀθηναῖον Lucianum. Hic quidem in dialogo Menelai & Proth. in fine: *ιδὼν εἶδον αἰδὰ τὸ πρᾶγμα τρεῖσιον, ἢ αὐτὸν πῦρ καὶ ὕδωρ γίγνεσθαι.* Ille verò in Prometh. vincit. *εἰ πρῶτα μὲν βλέποντες ἔσλεπον μάτην,* ) sed ut eò redeamus, unde digressi fuimus. *Si legamus, fundamentum fundamentum,* itidem nil significatur aliud, *quàm fundamentum solidissimum.*

VII. 3. Illud etiam in Bellarmino notamus, quod pro sua sententia nullum ex Patribus præsidium habeat. Solemne est alias Pontificiis, qui semper Patres Patres crepant, nobis objicere Patrum contemptum: sed videmus meras esse imposturas. Quando enim placet, Patres sequuntur; contra quando non placet, eos deserunt, ut h. l. Bellarminus, qui vix ullum ex Patribus præsidium pro sua sententia monstrare poterit: utpote, qui h. l. omnes de Christo interpretantur. Meritò ergò Bellarmino sua verba reddimus, quæ habet l. i. de Missa C. 6. §. Et prætereà. *Apud prudentes Christianos etiam sine ratiocinatione sufficere debuisset tot Patrum autoritas, cum nullus contra proferrì possit, qui id neget.* Quando ergò h. l. Bellarm. omnes Patres deserit, suomet proprio iudicio non est *prudens Christianus.*

VIII. 4. Quod autem Pontifex subintelligi non possit, patet ex Versu 6. *in quem qui credit, non pudebit.* Ille enim lapis h. l. intelligitur, in quem hodiè credimus. At in Pontificem non credimus. E. Pontifex nullo modo potest intelligi per lapidem.

IX. 5. Ex hoc etiam aliud nobis nascitur Argumentum. Lapis, de quo h. l. sermo est, est invisibilis; ratio est, quia in hunc lapidem hodiè credimus. *Fides autem est rerum non apparentium,* Hebr. ii. v. 15. Pontificii autem quando tam acriter contendunt, Pontificem esse Caput visibile & fundamentum visibile, eo ipso etiam demonstrant, Pontificem esse non posse hunc lapidem, de quo Petrus loquitur,

X. 6. Ulterius lapis, quo de Petrus agit, est lapis *fundamentalis,* & quidem firmissimus, quòd ædificium Ecclesiæ perpetuò sustentet.



stentet. At Pontifex non potest ædificium Ecclesiæ sustentare perpetuò, quia moriente Pontifice tolleretur etiam fundamentum, & sic totum Ecclesiæ ædificium, tanquam fundamento destitutum, corrueret. Quæso enim, ubi manet fundamentum secundarium moriente Pontifice? Aut enim manet fundamentum, aut perit. Si manet. Ergò Pontifex non est fundamentum (uti volunt) secundarium. Sed Ecclesia. Si perit. Ergò Ecclesia destituitur suo maximè necessario fundamento. Sic: Novus Papa vel affert secum fundamentum vel non. Si affert, ergò antea jam fuit fundamentum, & sic Pontifex antequam esset Pontifex. Si non affert. E. Ecclesia dat ei rō esse fundamentum secundarium. Aliter ex eodem medio possumus argumentari. Lapis ille, de quo Petrus agit, est lapis fundamentalis & firmissimus, qui totam Ecclesiam perpetuò sustentat, ne à portis inferorum saperetur. At qui in Papa fundantur, sæpissimè cadunt, imò Papæ plerumq; sunt mancipia Satanae. Quomodo autem tales possunt pios à portis inferorum defendere, qui ipsi à Diabolo captivantur? quomodo pii super impios possunt ædificari? Bellarminus fatetur in Præfat. *Quosdam parùm probos Pontifices aliquando hanc sedem tenuisse: & paulò post agnoscit & fatetur Rom. Pontif. vitia fuisse non pauca.*

XI. 7. Addimus duas adhuc alias rationes. Lapis, de quo hoc loco sermo est, est Electus v. 6. At multi Pontifices sunt reprobati. 2. Mali Pontifices ad hunc lapidem impingunt. E. ipsimet non possunt repræsentare hunc lapidem, cum nemo lapis offensionis esse queat & simul offendere in hunc lapidem: quia sic in semetipsum impingeret,

XII. Quod verò per hunc lapidem solus Christus intelligendus sit, patet ex nostro contextu luce clarius: & alias probat Theologorum ille Princeps c. 152. Harm. pag. 938 & patet etiam ex collatione Ps. 118 v. 22. Es. 8. v. 12. 13. Cap. 28. v. 16. Zach. 3. v. 9. Luc. 2. v. 34. Matth. 21. v. 42. Act. 4. v. 11. Rom. 9. v. 33. patet etiam, quia lapidem esse angularem, nulli alii nisi Christo competit, qui diversos populos Judaicum & Gentilium fidei unitate in vicem consociat faciens ex utroque unum.

XIII.



XIII. Dicitur autem Christus lapis partim propter oracula jam enumerata; partim propter Typos; partim etiam propter convenientiam. *Lapis firmum adificio suppeditant fundamentum, M. 7. v. 24.* inquit Dn. D. Gerhard. L. C. p. 939. *Sic Christus est immotum fundamentum Ecclesie contra inferorum portas eam sustentans Matth. 16. v. 18.* *Ad petram patet fugatis refugium; Sic Christus est petra salutis, ad quam vera fide confugere possumus 2. Sam. 22. v. 2.*

XIV. Additur in Textu, λίθον προσκόμμα & καὶ πέτρα σκάνδαλον; simulque, QVALIS sit hic lapis, explicatur. προσκόμμα significat propriè offendiculum & obstaculum in via, ad quod pedem impingimus. Σκάνδαλον itidem dicitur omne id, ad quod impingentes cadunt, à σκάζειν, quod significat claudicare. Significat etiam laqueum in via absconditum, ut transeuntis animalis pedes involvantur. Videatur Origenes sup. c. 9. ad Rom. Grammatici dicunt, σκάνδαλον esse lignum, quo decipula sustinetur, & in quod impingens animal ipsam collabentem tendiculum in se subito convertit. Hinc σκάνδαλον εἶναι & verbum σκάνδαλον εἶναι. Prior explicatio convenit cum voce προσκόμμα & talem exhibet comparisonem: Quemadmodum lapis fundamentalis & angularis non solum ædificium suffulcit ac sustentat, sed etiam fessi in eo, si promineat, quiescere & sub onere fatiscentes in eo se erigere possunt. Sed qui improvidè ambulant, vel ex temulentia in illum incurrunt, illis fit lapis offensionis. Sic Christus positus est in resurrectionem multorum, eorum scilicet, qui vera fide ipsi innituntur; sed positus est in ruinam illorum, scilicet qui improvidè in illum incurrunt. Posterior significatio congruit cum voce ἄκκι, qua Propheta utitur, quod sit lapis percussio- nis, à quo sc. conterendi & collidendi sunt, super quos cadit, Matth. 21. v. 44. Luc. 20. v. 18. Quamvis etiam vox ἄκκι aliquando quamvis offensionem significare posset, ut Prov. 3. v. 23. pes tuus non impinget ἄκκι ἢ ἄκκι ἢ ἄκκι Beza in Cap. 14. ad Rom. v. 13. tale discrimen observat, quod προσκόμμα levio- rem offensam significet, qua tamen aliquis non corruat. Σκάνδαλον verò gravio- rem lapsum, ex quo videlicet quispiam prolapsus claudicat. Sed hoc discrimen non ubiq; observatur. XV.



XV. Quæri h. l. posset, *Quisnam sit ille lapis angularis, an summus, an imus in fabricâ?* Villalpandus Tom. 2. Ezech. p. 477. censet esse summum; Christus, inquit, factus est in caput anguli, i. e. in summum angulum, h. e. in lapidem, qui in domo eminent, quasi culmen & fastigium sive frontispicium, quem Latini vocant pinnam. At rectius intelligitur lapis imus. Nam Esaias Cap. 28. v. 16. vocat hunc lapidem in fundamento fundatum & S. Paulus Ephes. 2. v. 20. dicit fideles omnes huic lapidi superædificari quasi imo angulari; Christus ergo est fundamentum imum Ecclesiæ, cui reliqua structura innititur.

XVI. Sequitur in Textu οἱ προσκόπτουσι τῷ λόγῳ ἀπειθῆντες. Syrus verbum τῷ λόγῳ refert ad verbum ἀπειθῆντες, q. d. οἱ προσκόπτουσι τῷ λόγῳ ἀπειθῆντες, quam lectionem sequitur Beza in h. l. Communiter verò τῷ λόγῳ refertur ad Verbum προσκόπτουσι. Quamvis enim Verbum προσκόπτω plerumque cum Præpositione construatur, tamen non raro etiam sine Præpositione usurpatur, ut Roman. 4. v. 32. προσέκοψαν τῷ λίθῳ impegerunt in lapidem. Quocunque modo legamus, res eodem recidit. Quidam, ut Hugo Lyranus, & glossa interlinearis per Verbum intelligunt, non verbum prædicatum, sed verba auditorum, ut sit sensus: qui offendunt verbo, i. e. qui peccant per verbum puta, verbis suis contradicendo & resistendo Christo, eumque blasphemando. Verum in Græco est προσκόπτουσι τῷ λόγῳ, qui impingunt in verbum, qui scilicet per Verbum Evangelii offenduntur & scandalizantur. Drusius, & alii quidam, per λόγον accipiunt λόγον ὑπερηκόων, Joh. 1. & sanè qui offendunt & impingunt in Verbum Evangelii, in ipsum Christum impingunt, qui in Evangelio ipsis offertur, Matth. 11. v. 5. Interim rectè hic intelligitur λόγος θεοφορικός, videlicet Verbum Evangelii. Exponit enim Apostolus modum quo lapis ille positus ad hominem resurrectionem & salutem, multis fiat lapis offendiculi, nimirum, quia non recipiunt sermonem Evangelii, sed potius ei contradicunt, illudque blasphemis proscindunt Act. 13. v. 45.

XVII. Additur tandem εἰς ὃ καὶ ἐπέθησαν. Quorsum referenda sint

B

sint





sint hæc Verba, variè sese torquent Interpp. Cum enim apud Græcos λίθος & λόγος sunt masculina & εἰς ὁ neutrum, non possunt hæc ad unum aliquod verbum referri, sed potius ad totum præcedentis complexum referenda sunt. Verum hic rursus Interpp. in diversas abeunt sententias. Nos cum Principe illo Theologorum Dn. D. Gerhardo in Comment. h. l. MS. præferimus eam, quâ eis ὁ refertur ad remotius, videlicet ad v. 6. in eo enim dicitur lapis fundamentalis, Christus scilicet in Ecclesia positus sine eo, ut omnis, qui credit in Eum, non confundatur. Subjungit ergo Petrus etiam incredulos in hoc positos esse, videlicet ut ipsi quoque in hunc lapidem edificarentur, h. e. in Christum crederent, & hac ratione ab aeterna ignominia & confessione liberarentur: sed ipsos propria culpa per voluntariam incredulitatem in Verbum Evangelij, & consequenter etiam in hunc lapidem impigisse, sibi quoque aeternum exitium accersivisse. Probamus hanc expositionem 1. ex collatione verbi λίθου v. 6. & verbi ἐπίθου in hoc v. 8. quæ ejusmodi connexionem monstrat. Etiam increduli positi sunt, h. e. per Evangelium vocati, ut super hunc lapidem in Ecclesia à Deo positum extruantur. 2. Ex collatione aliorum Scripturæ locorum. DEUS per Verbum Evangelij omnes vocat ad participationem beneficiorum Christi, vult omnes salvos fieri 1. Tim. 2. v. 4. vult omnes congregare sicut gallina congregat pullos suos. Matth. 23. v. 36. Ergo ad incredulos spernentes consilium Dei adversus semetipsos, Luc. 7. v. 30. posuit, ut in Christum crederent, cum primis hoc pertinet insignis locus Act. 13. v. 46. qui cum itidem de Judæis incredulis agat, huic nostro non immerito censetur parallelus. 3. Ex fidei analogia. Reprobi nusquam dicuntur positi, ut in Christum offendant; sed ad verbum & fidem positi sunt, quia verò in verbo scandalizantur, inde etiam impingunt atque offendunt. Quamvis enim DEUS propter prævisam finalem incredulitatem quosdam reprobet: nusquam tamen ad peccatum incredulitatis, quod est reprobationis & damnationis causa, eos dicitur ponere vel prædestinare. 4. Ex Interpp. suffragio. Beda quamvis verbum ἐπίθου nimis generaliter de creatione explicet, tamen relativum, εἰς ὁ re-  
tè ex-



et explicat. In hoc, inquit, positi, i. e. in hoc per naturam facti sunt homines, ut credant DEO & voluntati ejus obtemperent. Quae verba glossa ordinaria repetit. Lyranus eodem modo: Ad hoc fuit eis Lex data, ut disponderentur ad Christum. Eadem etiam sensu accipit Cajetanus. Erasmus itidem, qui ad haec verba sic annotat: Nam in hoc erat paratus Judaismus, ut in Christum crederetur, quem Lex Mosaica praesignavit. Quid quod ipse Calvinus hanc expositionem minimè repudiet, sic enim in b. l. commentatur: vulgò interpretantur, quod fuerint positi ad credendum, quia illis destinata erat salutis promissio. Sed alter sensus per aequè quadrare potest, quod incredulitatem ordinati fuerint: sicut Pharaon dicitur in hoc positus, ut DEO resistat, Exod. 9. & reprobi omnes in suum finem destinati sunt. Atque ut in hunc sensum inclinem, facit particula *quae* interposita. Quod si tamen prior expositio magis arripet, vehemens exprobratio est. Nam inde Petrus incredulitatem populi à DEO electi exaggerat, quod salutem peculiariter sibi ordinatam respuerit, Nicol. Hemmingius in b. l. sensus est: Et si illis (incredulis Judaeis) destinata erat salutis promissio, tamen non crediderunt. Haec tenus Gerhardus. Quam sententiam, ut olim à tanto Gamaliele didici, ita etiam eam propugnare est animus.

#### QVÆSTIO I,

An CHRISTUS sit verus, naturalis & æternus  
DEUS?

Affirmamus ex hoc loco. Nam Christus hoc in loco dicitur lapis offensionis & petra scandali, quæ verba ex Es. c. 8. v. 14. desumpta sunt, ubi JEHOVA Dominus exercituum lapis percussio- nis & petra offensionis dicitur. Paulus in Epist. ad Rom. C. 9. v. 33. idem testatur. Offenderunt ad lapidem, ad quem impingitur. Sicut scriptum est: Ecce statuo in Sion lapidem offensionis & petram scandali: & quisquis credet in eum, non pudebit. Ex quo tale emergit argumentum.

Qui Judæis est lapis offensionis & petra scandali, est Dominus exercituum. Christus Judæis incredulis b. l. est lapis offensionis & petra scandali. Ergo &c.

Oppo-



Opponeadum hoc est Photinianis, qui statuunt, Christum non esse verum & æternum DEUM, sed hominem merum, Mariæ filium, nec extitisse ante conceptionem & nativitatem naturalem; ideoque cum antiquis hæreticis arbitrantur, se non posse ad unci Patris gloriam, nisi per unci filii contumeliam pervenire. Hinc contendunt vocem JEHOVA non esse nomen soli DEO proprium, sed etiam attribui Angelis, Arcae fœderis, urbi Hierosolymæ, Altaribus, Judicibus & Sacerdotibus. At i. etiamsi concederemus, tribui aliquando etiam Creaturis nomen JEHOVA, quod falsum est, nuspiam tamen יהוה יְהוָה JEHOVA exercituum, illis attribueretur. 2. Falsum est, vocem JEHOVA Creaturis attribui, quod patet ex Pl. 83. v. 19. *quia tu nomen tuum JEHOVA, solus tu.* & Exod. 3. v. 13. Ego veniens ad filios Israel & dicam ei: *DEUS Patrum vestrorum misit me ad vos: & dicent mihi, quod nomen ejus? quid dicam ad eos? Respondet v. 15. JEHOVA, &c. misit me ad vos. Hoc nomen meum in seculum & hoc memoriale meum in generationem generationis.* Moses de proprio, hoc in loco, nomine DEI quæsivit, quo ab idolis Ægyptiis distingui & ab Israelitis cognosci possit. E. etiam responsum de tali nomine accipiendum est. Principium petunt, quando excipiunt, *Christo in N. T. ut divinum cultum, ita quoque divinum nomen esse datum, licet non sit æternus DEUS, quia hoc nomen est in seculum, & hoc memoriale in generationem generationis.* Confer. Exod. 6.

Objicit quidem Socinus contra Wieckum, ut & Ostorodus, Enjedinus, Smalzius, & alii, Christum dici Jehovah, quia Jehovah legatus est ejusque personam sustinet. *Si enim Angeli, cum Jehovah personam aliqua in re sustinent, ipsiusque perpetuus in Ecclesia vicarius est, Jehovah nomine appelletur, licet non sit revera Jehovah.* Verum cum nec missus mittentis nomen usurpet, nec causa instrumentalis causæ principalis, inauditum etiam est legatum Regis dici Regem, Legatum Cæsaris Cæsarem.

Objicit Socinus contra Wieckum p. 124. *in loco Petri accommodationem ad Christum non autem de Christo ipso expositionem esse.*



esse, posuit Luc. 2. v. 34. Paulus Rom. 9. v. 32. expressè etiam ad Christum refert; *offenderunt ad lapidem offensionis, SICUT SCRIPTUM est, sc. Es. 8. v. 14.*) *Ecce pono in Sion lapidem offensionis &c.* Quodque alias in illo capite Es. vaticinia de Christo contineantur, patet ex versu 18. *Ecce Ego, & pueri &c.* quod ipsum quoque Hebr. 2. ad Christum refertur. *Quamvis autem, ut inquit Socius ibid. p. 122. nil vetet quò minus duobus, licet aliqui longè diversis, similia aut eadem eveniant: seu quo minus de utroque duorum, aliqui longè diversorum, similia eademve jure dicantur.* Verum illud tantum intelligendum est de communibus accidentibus & eventibus hominum, non autem de propriis eventibus DEI in negotio salutis nostræ procurandæ, quod nemini hominum, qui nudus homo est, cum DEO est commune.

#### QVÆSTIO II.

An DEUS ex absoluto aliquo decreto aliquos homines destinârit & posuerit ad damnationem; vel etiam ad causas damnationis?

Negamus nos ex h. l. 1. Nam ut ex Textus explicatione patet etiam increduli ad Christum positi sunt, unde sic argumentamur.

*Qui ad Christum positi sunt; vel quibus datus & annunciatus est, illos DEUS non ex absoluto decreto destinavit ad interitum.*

*At & increduli ad Christum positi sunt, i. e. incredulis Christus datus & annunciatus est. Ergo &c.*

2. *Ex Voce ἀπειθήντες, quod Beza vertit, immorigeri. Nam*

*Quos DEUS ex absoluto decreto destinat ad damnationem, vel ad causas damnationis, scilicet peccata, illi si peccando deinde exequuntur DEI voluntatem, non possunt esse immorigeri.*

*At qui impingunt in Verbum Evangelij, sunt immorigeri. E.*

*Qui impingunt in verbum, illos DEUS ex absoluto decreto non destinavit ad damnationem, vel etiam ad causas damnationis scil. peccata.*

Majoris ratio est manifesta. Quia quos DEUS ad peccata destinavit, illi deinde, si peccant, tantum abest, ut sunt immorigeri,



ut potius omni modo impleant voluntatem DEI, ei que satisfaci-  
ant & sint morigeri. Contradictio enim implicita à DEO  
destinari ad inobedientiam. Eo ipso enim inobedientia esse  
desinit, quia ad illum actum quis ponitur. Et licet nobis videat-  
ur esse inobedientia, tamen apud DEUM est maxima obedien-  
tia, quia est effectus divinæ voluntatis.

Si vocabulum, *ponere*, pro prædestinatione sumeremus, nil  
juvaret Calv. quia taliter de electione & reprobatione est do-  
cendum, qualiter ea in S. Scriptura describitur. At absoluta  
electio & reprobatio in S. Scriptura & in h. l. non describitur,  
nec adsunt verba absolutum decretum innuentia. E. ratio mi-  
noris est, quando enim DEUS h. l. posuisse aliquos ad offensio-  
nem & scandalum dicitur, non intelligendum, quod homines  
simpliciter & absolute consideratos posuerit ad offensionem;  
sed Textus dicit, quod homines ἀπεθῆντες, *incredulos* posuerit,  
quibus verbis innuitur, incredulitatem vel præcisionem incre-  
dulitatis præcedere positionem vel prædestinationem. Objectum  
enim positionis non sunt homines, quæ homines, sed homines  
increduli. Sic etiam Judæ v. 4. IMPII dicuntur descripti in ju-  
dicium. Quod dictum cum hoc conferunt, & eodem modo ex-  
plicant. Opponendum hoc est Calvinianis, qui non tantum ab-  
soluto decreto (ipsius Calvini iudicio libro 3. inst. C. 23. §. 7. HOR-  
RIBILI) quosdam homines Ter. Opt. Max. ad interitum destinâs-  
se, sed etiam ad causas damnationis constituisse, contendunt scil.  
ad incredulitatem. Piscator super hunc locum sic scribit: *Scan-  
dalo, quod oriebatur ex incredulitate maxima partis Judeorum,  
ac imprimis Scribarum & Phariseorum, & c. occurrit commemo-  
ratione voluntatis DEI, in qua nimirum tanquam justa ac sancta  
omnibus piis est acquiescendum. Hoc significat v. 8, ubi ait, incre-  
dulos illos, qui ad Sermonem Evangelij offendunt, ad hoc ipsum  
esse positos, i. e. à DEO prædestinatos. Plura Dicta Adversariorum  
vid. in Actis Remonstrantium p. 40. & Exeg. A. C. Dn. D. Menze-  
ri art. 19. p. m. 796, hinc etiam Beza olim transtulit h. l. ad quod  
etiam conditi sunt.*

Verum





Verum absurda hæc esse ex superioribus patet. Quid? quod  
& Nicolaus Hemmingius Bezanam illam per versionem ex pro-  
fesso refellat. Pellicanus super h.l. Christum, quem Judæi suo edi-  
ficio dignati non sunt, hanc DEUS in suo edificio voluit esse ca-  
put anguli, quo ceu parietem utrumq; utramq; gentem, gentium  
ac Judæorum complecteretur & contineret, cujus munimento tu-  
ta esset adversus omnes insultus structura, & in quem suo malo  
impingerent & incurrerent, quicumq; adversarentur huic novo edi-  
ficio. Impingunt autem quoscunq; offendit Sermo Evangelicus,  
neq; credunt illi, CUM HUC EOS PRÆPARARIT LEX MO-  
SAICA, UT CREDERENT EVANGELIO, SIMUL ATQVE  
VERE PRÆSTARETUR, QVOD ADUMBRASSET ILLA.  
PROINDE QVI REPROBAVERUNT CHRISTUM, HOS VI-  
CISSIM REPROBAVIT DEUS. Marloratus super hunc loc. eti-  
am sic commentatur: *Potest hujus loci duplex esse sensus; vel quod  
ad incredulitatem ordinati fuerint (quemadmodum Pharaon dicitur  
ad hoc positus, ut DEO resistat Exod. 9. Rom. 9.) vel quod positi  
fuerint ad credendum, quia illis destinata erat salutis promissis,  
QVI SENSUS NON MALE QUADRAT. Videtur enim Petrus  
incredulitatem populi à DEO electi exaggerare, quod salutem pe-  
culiariter sibi ordinatam respuerit. Et certè hæc circumstantia  
his eos reddit inexcusabiles, quod præ aliis vocati DEUM audire  
recusaverint. Ita enim aternâ vita dignos se reddiderunt, quem-  
admodum illis impropere Paulus Act. 13. v. 46. Bullingerus in b.l.  
sic scribit p. 27. Christus piis Autor Salutis, impiis argumentum  
aternæ damnationis existit, in quem si qui impingunt doctrine  
Evangelicæ vel infensi, vel in Christum crucifixum injuriæ & blas-  
phemi, SUOPTÉ VITIO corruunt & in pulverem atteruntur. Si-  
meon enim apud Lucam in 2. dixit hic positus est in ruinam & in  
resurrectionem multorum in Israel & in signum, cui contradici-  
tur. Quin & ipse Petrus Israelitas maximè imegisse dicit, &c.  
impingunt enim in Evangelium Judæi, dum ejus prædicatio-  
ne effenduntur, non credentes eum esse Messiam, quem ta-  
men fides veritasq; Evangelica Christum esse testatur, & cujus no-  
mine*



mine tot Patribus facta sunt promissiones, quarum cum ipsi heredes sint, eos tamen opes repellunt, quas ipsis ante ceteros offert DEUS, 2. DEUS in Adamo omnes condidit, ad imaginem suam, ac proinde in iustitia ac sanctitate veritatis, Ephes. 4. v. 24. Pulcrè Augustinus ad art. sibi falsò impositos, Resp. ad 3. omnium quidem hominum creator est DEUS, sed nemo ab eo idcò creatus est, ut pereat, quia alia est causa nascendi & alia pereundi: ut nascantur homines, creatoris est beneficium, ut pereant pravariationis est vitium. 3. Sive maxime, eis δ' ἐτέθησαν, deferretur ad proximè precedens membrum, attamen non sequitur, à DEO illos esse positos ad incredulitatem, quia Petrus absolutè addit, Positi sunt; non autem à Deo positi sunt. Pulcrè Oecumenius, eis δ' ἡγή ἐτέθησαν, ἕχ' ὡς ἀπὸ τοῦ θεοῦ εἰς τοῦτο ἀφωρισμένοις εἶηται, ἕδεύια γὰρ αἰτία ὀπολείας ὧσαί τ' πάντας ἀνθρώπους θέλονθ' ὁ σωθῆναι βεβαύεεται ἀλλὰ τὰς ἑαυτὰς σκένη κατηρηκόσιν ὁ εὐχης. &c. Agnoscunt hoc Aretius, & Tossanus, qui in Comment. super h. l. sic scribit: Ad QVODET POSITI SUNT. Non quod Deus precipitet in peccatum, aut ponat in animis hominum inobedientiam, sed quod non casu vel sine providentia DEI, qui omnia ad suam gloriam ordinat vel misericordie & iustitie, contingat talis lapsus & ruina, quæ instinctu Diaboli fit; sed DEO eam disponente ad laudem suæ iustitiæ puniens reprobos, &c. Ita sanè est. Et Diabolus & homo seipsum ponit ad incredulitatem secundum duritiem suam & cor impœnitens thesaurizat sibi iram, Rom. 2. v. 15. indignum se reddit, vitâ aternâ, Act. 13. Similis phrasis extat Rom. 9. v. 22. ubi DEUS vasa ira, coagmentata ad interitum, longâ patientia sustinere dicitur. 4. Sæpè etiam verba ejusmodi permissivè intelligi debent, præcipuè verò in hac materia. Sic Rom. 1. v. 24. dicitur, DEUS tradidit gentes in reprobum sensum; quod Act. 14. v. 16. explicatur PERMISIT eas ambulare in viis suis, sic quod dicitur Matth. 6. v. 13. & ne nos inducas in tentationem; id explicatur 1. Cor. 10. v. 13. fidelis DEUS qui non SINIT vos tentari ultra vires. Rectè Hugo de S. Victore Lib. 2. de Sacram. part. 2. c. 19. Providentia operatur in suo & alieno: in suo quod fecit, in alieno, quod permisit. Simile exemplum extat etiam 2 Sam. 24. v. 1. DEUS concitavit Davidem, ut juberet Israelem numerari; quod



quod 2. Paral. 21. v. 1. sic effertur: *Consurrexit Satan contra Israel & incitavit Davidem & numeraret populum.* Ex quorum locorum collatione apparet DEUM permissivè concurrissse ad Davidis peccatum. Quid igitur vetat quò minus & hæc sic intelligantur, *Ad quod & positi sunt, i. e. quos permisit DEUS, ut ponantur.* 5. Si vel maximè concedamus ex hypothesi, *positos esse à DEO,* nondum tamen sequitur, illos esse positos ad impingendum ex absoluto aliquo decreto à DEO, sed ad exitium iusto iudicio, DEO antegressum contemptum & incredulitatem puniente. Non igitur loqueretur de antecedente, sed consequente judiciaria DEI voluntate, quâ in præcedentium peccatorum pœnam ejusmodi permittere decernit. Remonstrantes in Actis p. 208. Verbum offendere explicant pro pœna, quod credere nollent ἀπειθεῖν, ruerent sive offenderent, i. e. rei fierent pœna aeterna, ignominie & opprobrii à facie DEI. Similitudine sumptâ ab iis, qui incircumspectè ambulantes ad durum aliquod saxum aliquando impingunt graviter seipsos ledunt, sibiq; ipsis lapsus periculosi causa sunt. 6. Non contemnenda est hoc loco Flaccii observatio Clav. Script. in Verbo PONO, qui ad b. l. sic respondet. *Non est necesse, semper verbis passivis mox Autorem, à quo ea actio proficiscitur dari.* Sapè enim tum activa tum passiva illorum verba simpliciter tantum existentiam significant præsertim si passivis ablativis persone agentis non additur, ut Rom. 7. *Ego venditus sum sub peccatum:* ubi non necesse est intelligere me à Deo, aut quoquam alio esse venditum: sed simpliciter indicat Paulus, hominem esse mancipium originalis peccati, &c. Sic Rom. 1. *Vani facti sunt in ratiocinationibus eorum, & obtenebratum est non intelligens cor eorum.* Et mox: *Stulti facti sunt;* ubi non est necesse dici, eos vel à DEO vel ab alio quovis vanos & stultos factos, & cor eorum obtenebratum esse, &c.

### QVÆSTIO III.

#### An Ecclesia sit congregatio Sanctorum?

August. Confess. Art. 7. sic docet: *Est autem Ecclesia congregatio Sanctorum, in qua Evangelium rectè docetur, & rectè administrantur Sacramenta.* Non placet Pontificiis hæc Definitio, quæ tamen ex hoc loco probari potest ita:

*Q. non edificatur super hanc petram, sed offendit potius ad eam, ille non est propriè membrum Spiritualis edificiæ & Ecclesiæ.*

C

Ad



*At immorigeri non adificantur super hanc petram, sed potius ad eam  
offendunt. E. Imorigeri non sunt proprie membra Ecclesie, &  
per Consequens Ecclesie, congregatio Sanctorum.*

Majoris connexio certa est. Minor etiam vera est, quia soli cre-  
dentes sunt lapides, qui adificantur super fundamentalem lapi-  
dem Christum: & ita constituunt partem Spiritualis Domus seu  
Ecclesie v. 5. Imorigeri autem non superadificantur, sed offen-  
dunt & impingunt in eam. Christus est illis petra scandali &  
lapis offensionis. Unde repelluntur potius ab hoc lapide, quam  
quod super eum adificentur, imò etiam repellunt à se hunc la-  
pidem. Elegans est descriptio membrorum Ecclesie v. 4. & 5.  
*Accedentes ad lapidem vivum etiam ipsi tanquam lapides vivi, super-  
adificamini domus spiritualis. Sacerdotium Sanctum offerre spiritualis  
hostias acceptabiles DEO per Christum. Impii ergò non superadifican-  
tur, ut fiant membra Ecclesie.*

Opponendum hoc est Bellarmino l. 3 de Eccles. c. 2. §. Lutherus,  
qui nostram sententiam Pelagianismi accusat & c. 9. §. contendit, in  
unica vera & catholica Christi Ecclesia non solum imperfectos, sed etiam  
graves peccatores, & non solum occultos, sed etiam manifestos esse. Resp.

Quamvis, si Ecclesiam ratione æternæ societatis consideremus,  
non negemus, externo cœtui Ecclesie admixtos esse quosdam  
non sanctos. Interea tamen, si Ecclesiam propriè consideremus,  
quatenus est corpus Christi mysticum & domus DEI Spiritualis,  
tùm Ecclesia rectè dicitur congregatio Sanctorum. Nam ut in  
corpore humano unumquodque verum membrum animatur &  
regitur Spiritu vitæ, & vicissim, quicquid in corpore humano non  
animatur ac regitur Spiritu vitæ, illud non est membrum, nisi o-  
mniúuas. Sic etiam hi lapides, qui super Christum adificantur,  
sunt lapides vivi v. 5. id est, per fidem in Christum redduntur  
vitæ spiritualis participes, ejusdemque Spiritu vivificantur, ani-  
mantur & vegetantur. Cum autem impii nomen quidem ha-  
beant, quod vivant, sed revera mortui sint, Apoc. 2. v. 1. non pos-  
sunt esse vera hujus ædificii Spiritualis membra.

Objicit quidem Bellarminus lib. 3. de Eccles. c. 9. §. ad ultimum.  
*Malos non esse membra viva corporis Christi.* At mortua membra  
non sunt verè membra, sed æquivoce tantum. Audi Aristotelem  
l. 2. de anima c. 1. f. 9. *Oculus est materies visus, qui cum defecerit (scil.  
per*



per mortem aliumve casum) non ulterius erit oculus, nisi nomine tantum, & perinde atq; lapideus vel etiam pictus. En Aristoteles solo naturæ lumine plus vidit, quam Bellarminus, qui contendit, mortua membra esse vera membra. Consentit Lombardus 1. sent. dist. 37. lit. C. illi ad templum DEI non pertinent, qui cognoscentes DEUM non sicut DEUM glorificant. Confer. C. de illis C. 24. q. 3. de Pœnitentia dist. 1. c. Ecclesia. Audi Thomam 3. qv 8. art. 3. resp. 2. qui subduntur peccatis (scil. impii) non sunt membra Christi actualiter, sed potentialiter, nisi fortè imperfectè per fidem informem, quæ unit Christo secundum quid & non simpliciter. Consentit Alexander de Ales, Hugo, Melchior Canus, Petrus à Soto, Johannes de Turrecremata, teste ipso Bellarmino l. c. §. ad ultimum, imò l. 4. c. 2. Canus fatetur, qui nervosius Ecclesiam finiunt illi non dubitant, eam fidelium tantum numero constari. Hinc ipse Bellarm. resp. ad 8. fatetur, non solum Brentium, sed & aliquos catholicos fingere duas Ecclesias, i. e. amplecti distinctionem in Ecclesiam visibilem & invisibilem, cujus rei testis esse potest Bannes 2. 2æ. q. 1. art. 10. p. 47. qui de Catechumenis sic loquitur: Catechumeni simpliciter pertinent ad Ecclesiam INVISIBLEM, siquidem sunt membra Christi per charitatem, sed ad Ecclesiam VISIBILEM non pertinent simpliciter, sed secundum quid, videlicet per votum & c. quid? quod Bellarm. sibi ipsi contradicat. Jam enim comparat malos l. 3. de Eccles. c. 2. §. notandum, capillis aut unguibus, aut malis humoribus in corpore humano. Verum quando Auctores supra citati c. 9. §. ad ultimum, hâc similitudine declarant, malos esse membra Ecclesie tantum secundum quid & æquivoce respondet Bellarminus, At si ita est, sequitur malum Pontificem non esse Caput Ecclesie: & alios Episcopos non esse capita suarum Ecclesiarum. Caput enim non est humor aut pilus, sed membrum & quidem præcipuum. Illud etiam notamus in Bellarmino quod habet l. 3. de Ecclesia c. 7. Resp. ad 5. Ovile dicitur à meliore parte, etsi non solas oves contineat. Quemadmodum Roma dicitur civitas, etiamsi multos non cives complectatur. At si mali ita se habent ad ovile Ecclesie, ut non civis ad civitatem, sequitur malos non esse veros Ecclesie cives.

Tandem, ut Pontificis dignitati consulat, veterum Papistarum sententiâ repudiata novam excogitat distinctionem: Membra considerari posse duobus modis: Uno modo secundum se; alio modo ut sunt instrumenta operativa, & c. Episcopum malum, Presbyterum malum, Do-



*Etorem malum esse membra mortua Corporis Christi, & proinde non vera, quantum attinet ad rationem membri, ut est pars quaedam vivi corporis, sed tamen esse verissima membra ratione instrumenti.* Resp. 1. Distinctio hæc non satis apta est huic instituto, quia malos plebejos in Ecclesia non attingit, sed tantum malos Prælatos. Nam ii, qui sunt de plebe & populo, quomodo instrumenta dici possunt? cum ergo quæstio generalis sit *de omnibus malis in Ecclesia*, etiam responsio ad omnes malos se extendere debet. 2. etiamsi autem Christus Episcopis malis utatur tanquam instrumentis, non tamen omnia instrumenta, quibus Christus utitur, sunt membra Christi, aliàs etiam Diabolus esset membrum Christi, quia eo Christus etiam utitur. Non magis sequitur hoc Argumentum, quam si quis ita concluderet: Faber utitur securi & ferra pro instrumentis. E. ferra & securis sunt membra fabri, Absurdum! Potius ita explicanda est similitudo. Ut faber per instrumenta inanimata agit: ita DEUS per Episcopos malos, qui sunt instrumenta, sed mortua, in vita, similes sunt *architectis, qui arcam hominum à diluvii suffocatione servatricem fabricabant, ipsimet verò eâ, cataclysmo inundante, non servabantur*: Ita etiam mali Pastores juvant quidem cum aliis ædificare domum spiritualem Ecclesiæ, ipsius tamen membra non sunt, nec in ea servantur. 3. Bellarminus quoque sibi non constat. Nam etsi, quæ non sunt membra corporis, possunt esse instrumenta, sed mortua, ut ferra fabri: tamen membra corporis, si mortua fuerint, nunquam instrumenta esse possunt, nec ad opus aliquod adhiberi, ut manus mortua nil potest operari, & si ad opus aliquod admovetur, statim deficit. E. hæc distinctio inter membra ratione membri, & ratione instrumenti se ipsam tollit. Eo ipso enim, quando membra mortua appellat, negat quoque esse MEMBRA ratione instrumenti. Unde tandem relinquitur, malos Episcopos esse nuda instrumenta.

Tannerus Tom. 3. disp. 1. q. 3. dub. 2. respondet esse viva, vitâ quâdam saltem imperfecta, & quasi vegetativa, secundum quam & alimentum doctrinæ Christianæ ipsi ab Ecclesia recipere, & in fide proficere &c. possunt, quæ vitæ vivunt arbores, & in animali ossa. Resp. Repugnat Tannerus Bellarmino, qui malos membra mortua esse concessit. Repugnat etiam hypothese Pontificiorum, qui statuunt corpus crescere per Charitatem. Estius in c. 4. Ephes. v. 16. *Corpus hoc mysticum sive spirituale propriè non ædificatur nec proficit, nisi per charitatem,*  
cum



*cum sine ea nihil sint cetera. Corn à Lap. in l.c. Charitas, quasi anima, facit nos crescere in Christo, ut crescente charitate, crescat totus homo. Si autem corpus hoc non nisi per charitatem crescit; si charitas est anima Ecclesiae, quomodo peccatores, qui charitate carent, alimentum recipere & in fide proficere possunt, quomodo vivent anima vegetativa? Nam & accretio & nutritio sunt animae vegetativae: quae cum teste Estio, tantum per charitatem sese exerant, non possunt cadere in peccatorem magnum charitate destitutum: nec peccator potest vivere vitam animae vegetantis. Nos potius illud exinde concludimus: Si charitas est anima Ecclesiae, E. peccatores non sunt membra & partes Ecclesiae: pars enim, quae non informatur formam corporis, & in viventibus, quae non animatur anima corporis, non est corporis pars & membrum. Gloss. ord. super h. l. dicit homines in DEI aedificio charitate compingi. Et Lyranus, huic fundamento adhaerere fideles per fidem charitate formatam. Cum autem mali charitate destituantur, in hoc aedificio compingi atque hic partes esse non possunt. Repugnat etiam illi hypothese, quando cum Bellarmino l. 3. de Eccles. c. 2. §. notandum statuunt, quosdam esse de anima tantum Ecclesiae, ut catechumenos: quosdam de anima & corpore, ut reliqui pii qui sunt baptizati: quosdam esse de corpore tantum, ut peccatores. Si autem peccatores sunt de corpore tantum Ecclesiae, non erunt de anima, quae etiam in se comprehendit animam vegetantem. Repugnat etiam Corn. à Lapide l. c. p. 551. comparat peccatores animae sensitivae; pios animae rationali. Tannerus contra peccatoribus animam vegetantem tribuit. Nuspiam scilicet error consistere potest. 2. rem ipsam quod attinet, respondemus ex S. Scriptura, quae nobis impios non monstrat viventes animam vegetantem, sed in delictis mortuos Ephes. 2. v. 1. Joh. 5. v. 15. Colos. 2. v. 13. sedentes in tenebris & umbra mortis Luc. 1. v. 79. Evangelii praedicatione tantum abest ut impenitentibus vitam tribuat, ut potius sit odor mortis ad mortem 2. Cor. 2. v. 16. Consentit Bannes & simul vulgatam illam similitudinem refellit de manu arida in 2. 2. art. 10. p. 48. Manus, quae vegetatur, simpliciter habet vitam, sed ex infirmitate impeditur ab operatione perfecta instrumenti: At vero peccator habens fidem mortuam, non habet vitam, imò caret potentiam operativam, quae est Charitas, per quam fides operatur opera vitae. 3. addimus etiam rationem, ex collat Ephes. 4. v. 16. & Coloss. 2. v. 19. ubi describitur Ecclesia cum suis membris, in quibus 1. notamus illud quod πᾶν σῶμα omne corpus, i. e. totum & universum corpus, nullo membro excepto, sit coagmentatum, scilicet Spiritu vitae à Christo capite defluente. 2. quod ἕνα ὄν, unumquodque membrum*



brum habet suam *ὡς ἡ γῆ*. 3. quod crescant auctamento DEI. Cum ergo im-  
pii non sint coagmentati Spiritu vitæ, nullum habent *ὡς ἡ γῆ*, non  
crescant auctamento divino in edificationem sui in charitate sequitur, quod  
non habeant animam quasi vegetantem, quia animæ vegetantis est  
crescere. 4. Taceo, quod Tannerus à Concilio Tridentino discedat, quod  
sess. 6. c. 7. rem his verbis definit. *Homo in justificatione sua accipit per Je-  
sum Christum, cui inseritur, fidem, spem, & charitatem. Nam fides nisi spes ac-  
cedat & charitas, neq; perfectè unit cum Christo, neq; corporis ejus membrum  
VIVUM efficit.* At Tannerus impiis tribuendo animam quasi vegetan-  
tem, tribuit vitam. E. Concilio contradicit. 5. Ponamus tamen malos vi-  
vère vitâ quasi vegetativa: nondum tamen sequitur, illos esse membra,  
quia & capilli vegetantur, & tamen non sunt membra, inquit Bannes l. c. non  
Bartholomæus à Medina in Part. 3. Thom. q. 8. art. 3. *Malus in esse scribit  
Christo, tanquam membra heterogenea, i. e. alterius nature, quia mali Chri-  
stiani plus habent de natura diaboli, quam de natura Christi: fide quidem sunt  
Christi, corde verò & opere sunt diaboli.* Resp. 1. Si Medina per membra,  
heterogenea & homogenea intelligit partes similes & dissimiles,  
tunc summopere erat, putando, partes dissimiles alterius esse naturæ  
quam totum. Nam & dissimiles partes sunt homogeneæ, i. e. ejus-  
dem naturæ cum toto homine. In hoc tantum differunt, quod simi-  
lares eandem rationem atque nomen cum toto obtineant, ut quæli-  
bet portio carnis caro est. Dissimiles, quæ eandem denominatio-  
nem & rationem cum toto non obtinent, ut musculus constans ex  
substantia carnosa & nervorum. Hæc tamen non sunt alterius na-  
turæ, quam totus homo. Unde partes considerari possunt vel qua-  
tenus alias partes respiciunt, vel quatenus totum integrale. Quatenus  
alias partes respiciunt, tunc una pars alterius quidem naturæ est, quam  
alia, ut substantia oculi, cerebri, pulmonum, nervorum, &c. Si verò par-  
tes totum integrale, vel totum corpus respiciant, tunc partes non sunt  
alterius naturæ quam totum. Sic oculus vel musculus non est aliquid  
naturæ diversum à Corpore humano, quemadmodum Medina malos  
plus vult habere de natura Diaboli, quam de natura Christi. Imò quod ab-  
surdissimum est, sequeretur ex hac explicatione, *Christum esse membrum  
heterogeneum*, quia caput, quod est Christus, est pars dissimularis. 2. Si  
verò per membra heterogenea intelligit membra, quæ alias alterius  
naturæ sunt; quam totum, ut mali naturæ diabolicæ, tunc corpus Chri-  
sti fa-



sti facit monstrosus. Quemadmodum enim homo pede equino præditus monstrosus esset, quia pes vegetationem quidem reciperet ab homine, per se tamen plus haberet de natura equi, quam hominis: Ita etiam Christus, si in hoc sensu haberet membra heterogenea, esset monstrosus, quia *mali plus habent de natura Diaboli, quam de natura Christi*, fatente Medina. At quæ Societas luce cum tenebris? quæ convenientia Christo cum Belial? quæ pars fideli cum infideli? Bellarm. l. 2. de Just. c. 7. §. 7. præsupponit ipse neminem simul dici & esse posse Filium DEI & Diaboli, *Si Christus, inquit, per injustitiam nostram sibi imputatam verè dicitur peccator dici etiam poterit, quod horret animus cogitare, filius Diaboli.* 3. Pontificii fidem collocant in solo intellectu. Jam verò si impii sunt vera Christi membra, aut ei uniuntur per voluntatem, aut per intellectum. At peccator per amorem voluntatis etiam ex illorum hypothesi non unitur Christo, sed potius inimicitias gerit adversus DEUM. Si per intellectum, scil. ratione fidei, tum etiam damnati erunt vera Christi membra: quia & damnati una cum demonibus habent veram fidem, qualiter eam Pontificii describunt, teste Durando in 3. dist. 23. q. 9. & Lombardo ibid. lit. D. & probari posset non tantum ex dicto Jacobi, quò Lombardus utitur: *Dæmones credunt & contremiscunt c. 2. v. 19.* sed etiam quia in damnatis vix aliquis error fidei papisticae contrarius dabitur. Tum si character manet in baptizatis, etiam si damnentur, ad testimonium culpæ eorum; tum quoque fides potest manere, etiam si nunquam operetur. Quamvis autem secundum alios non amplius habeant *fidem infusam*: tamen adhuc conjuncti esse possunt *fide acquisita*, quæ secundum Biel in 3. sent. dist. 23. est *habitus naturaliter acquisitus ex actibus credendi acquisitis.* 4. ad rem ipsam tamen respondemus, falsum esse, Ecclesiam vel corpus Christi habere membra heterogenea. Ecclesia enim est UNA, non unitate tantum externâ, sed unitate internâ, scil. Spiritus, quæ nulla membra diversæ naturæ admittit. Audi Apostolum Ephes. 4. v. 3. *Solliciti estote servare unitatem Spiritus in vinculo pacis, unam corpus & unus Spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae. Unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus DEUS Pater omnium.* 5. in genere etiam notamus Bellarminum & Medinam, quando statuunt hominem charitate destitutum ratione solius fidei esse *membrum mortuum Ecclesiæ*, aperte contradicere Scripturæ, quæ vi-

tata




tam non charitati, sed fidei adscribit. Heb. 2. v. 4. Rom. 1 v. 17. Gal. 3. v. 11. Hebr. 10. v. 38. justus ex FIDE VIVIT. Joh. 3. v. 16. Sic DEUS dilexit mundum &c. ut omnis, qui CREDIT, non pereat, sed habeat VITAM aeternam. Confer. v. 36. Gal. 2. v. 20. VIVO in fide Filii Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. 6. Fundamentum erroris in illo consistit, quando fidem pro sola noticia & assensu sumunt putantque veram fidem justificantem separari posse à Charitate, atq; superesse in malis licet informem. Quæ omnia nos negamus. 7. Notamus etiam ea verba contra Bellarm. & Medinam, quæ habet Concil. Trid. sess. 6. c. 7. in ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, FIDEM, spem & Charitatem. Cum quibus verbis convenit communis opinio Pontificiorum, causam formalem justificationis esse gratie infusionem. Si autem fides per justificationem demum infunditur, tum sequitur, quod peccatores ante justificationem non habeant veram fidem, & per Consequens neque membra Ecclesiæ per fidem unita esse possunt. Sic idem locus quodammodo innuit, habitum fidei pendere à gratia, sicut spem & Charitatem. Cum autem omne peccatum mortale expellat gratiam, & habitus fidei pendeat à gratia, E. etiam simul tollitur, & per Consequens peccatores, neque membra Ecclesiæ per fidem unita esse possunt, quia habitus fidei simul cum gratia tollitur. Argumenta Adversariorum nil aliud probant, quam in externo Ecclesiæ cœtu esse quosdam non sanctos, quod nos non negamus. Semper enim distingvimus inter cœtum in quo Ecclesia, & inter cœtum qui est Ecclesia: inter Ecclesiam ratione externæ societatis, & ratione internæ unionis. Non longè à nobis discedit Bannez 2. 2æ. q. 1. art. 10. p. 38. Si metapbora membri consideretur secundum INUSITABILILEM influentiam Capitis Christi, tunc peccatores ita dicuntur imperfectè membra, ut simpliciter non sint dicendi membra Christi, siquidem simpliciter non habent vitam spiritualem. Neque Bellarminus sui oblitus absurdè loquitur c. 3. de Eccles. c. 10. §. ult. illos qui alicubi simulant se esse Christianos & Catholicos, non esse de Ecclesia, nisi secundum apparentiam exteriorem & putativè non verè.

FINIS.

OS (O) OS





Marius









Jg 3140  
0

ULB Halle

3

003 905 217



*ser*




1077 *mt*

Manlius







J. E. V. N.  
N. U. M.  
T. U. C.  
D. U. M.







an 14 15

# CHRISTUS

## LAPIS OFFENSIONIS,

è  
*I. Petr. II. Vers. VII. & VIII.*

Ad solennem Disputationem  
propositus,

pro  
DOCTORATU THEOLOGICO  
obtinendo,

à  
PRÆSIDE  
**M. JACOBO SCHALLERO,**  
Philosoph. Pract. Profess. Publ.

RESPONDENTE  
**JOACHIMO WILLIO,**  
Schwertzenbacense-Varisco,

*Die XII. Decembr. Anno M. DC. XXXIII.*  
*Loco ordinario,*  
Horis pro & pomeridianis.

---

ARGENTINÆ,  
Typis EBERHARDI WELPERI,  
ANNO M. DC. XC.

